

E P I S T O L A

*Solos spiritus Pneumaticorum medicorum exemplo magnificat, ipsaque potestatem omnem gubernandi corporis permittit. Temperiem partium adeo negligit, ut eam balneatorum subiectum cum Thessalo cauilletur. Facultatibus agendi auctoritatem demit, omni eam spiritibus concessa, qui cum medicaminibus consentientes, non expectato facultatum imperio, agant quod velint. Talibus paradoxis Physiologia inuestit Theophrastus. Non minoribus Pathologiam. Quandoquidem morbos distinctas putat esse substantias, a principiorum impuritate prognatas: alios nimirum corporeos, tum viuos, tum mortuos: incorporeos alios. Mortuos appellat, qui ceu arboris truncus iam tabescens, nullum e corpore nutrimentum alliciant, qualis sit in vesica Lapis. Viuos, quos alat corporis naturale promptuarium, ut Sal est ulcerum corrodens. Qui vero derepente tanquam caelesti influxu hominem exagitant, apoplexia, epilepsia, paralyses, eos Incorporeos, & Astrales cognominat. In Aetiologia vero causas sanitatis conseruandae, morbiq; profligandi non refert in aërem, vel res non naturales ceteras, sed in sola medicamenta, nec ea omnia, sed quae ad tantam subtilitatem rediëre, ut
intra*